



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 52. Franciæ Regis querelæ ad Pontificem contra Sabaudiaë Ducem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII.
A. C. 1704.

§. LII.

*Franciae Regis querelæ ad Pontificem
contra Sabaudia Ducem.*

Postquam Victor Amadæus Sabaudia *Hode Hist.*

Dux die septima Octobris anni prio- *de Louis*
ris Galliarum Regi bellum denuntiave- *XIV. l. 56.*
rat, mox idem Rex Vindocinensem Du- *Mem. de la*
cem cum valido agmine in Sabaudiam *Torre t. 4.*
pag. 119.

emisit, postulans, ut Dux intra viginti
quatuor horarum angustias cunctas suas
copias armis exueret, omnesque suas
arces Helvetiis sequestri nomine trade-
ret, secus extremam armorum violen-
tiam experturus. Ad hæc postulata
nimis dura Sabaudus non nisi querelis
ad Cæsarem, Pontificem, Anglos,
Batavosque delatis respondit: Infau-
stam Sabaudi sortem dolebant omnes,
opem ferre poterat nullus, præter Cæ-
sarem: Equidem non defuit Pontifex
literis solatio plenis, quibus die prima
Januarii acerbam ejus vicem misertus
ad reddendam Ducatus tranquillitatem
sua officia Duci obtulit, eundem hor-
tatus, ut cælestem interea opem sibi
conciliet, huncque in finem filialis suæ
erga S. Sedem observantiæ testimonia
diutius desiderari non patiatur. Die
autem quarta ejusdem Mensis idem
Franciae Rex prolixam admodum epi-
Hist. Eccles. Tom. LXVII. N stolam

Sæc. XVII. stolam ad Pontificem transmisit, in qua
A.C. 1704. a partibus suis Sabaudum defecit
 questus, eidem Duci neutralitatem obtulit, dummodo urbes suas Helvetiæ præsi-
 diis muniri permittat, copiis Gallicis liberum innoxiumque per suas præ-
 tiones transitum concedat, atque inermis belli, quo Rex jura sua in His-
 panicam Successionem armis tueri cogere-
 tur, eventum præstolaretur: Unde ergo Rex eo facilius certiusque Pontificem ad assumendum mediatoris officium apud Ducem inducere posset, in suis literis memorabat, quod ipsemet Innocentius XII. ejus Prædecessoris Testamentum Caroli II. defuncti Hispaniæ Regis, necnon effectus inde secutos suo assensu & suffragio comprobavit. Ast omnibus notum erat, quod Innocentius XII. etsi a Monacensi Principe Gallici Regis Oratore importunius fuisset sollicitatus, nihilominus nequidem *partitionum*, ut vocabant, tractatus ratos habere voluerit, & Hispaniæ Regi primum die secunda Octobris supposito testamento, & quinta ejusdem Mensis Codicillo suum chirographum apposuerit, tandem prima Novembris die defunctus, Innocentius autem Pontifex jamjam vigesima septima Septembris die vivis excesserit. Eapropter Clemens Papa in suo ad Regem re-
 sponsio

sponso hunc Innocentii assensum infi-
ciabatur: Ceterum validius Pontificia
mediatione erat Cæsaris auxilium; ad-
ductis enim a Starenbergio viginti Cæ-
sareorum millibus Victor Amadæus
plura in Pedemontio loca a Gallis sibi
erepta recuperavit, quæ postea tamen
novercante fortuna rursus amisit.

Sæc. XVII.
A. C. 1704.

§. LIII.

Bellum Gallo - Bavaris infaustum.

Interea Herbersteinus cum cæsareis
copiis in Ferrariensi agro castra me-
tabatur, vehementer, incassum tamen
reclamante Astallio Pontificio Guber-
natore: postquam vero Lambergius
Cæsaris Orator perscripserat, Cardina-
lem Spadam nomine Pontificis renun-
tiasse, Gallos, si violata fide Padum vi-
occuparint, diro anathemate percuf-
sum iri, Leiningius, qui Herbersteinio
successerat, hoc promisso tutus Padum,
Ferrariensemque agrum deseruit: mox
vero Galli noctu Padum transiere, mul-
tasque urbes occuparunt, quin e Va-
ticano fulmina detonarent, quapropter
Pontifex collusionis suspicionem decli-
nare haud poterat, Galli vero Miran-
dulam, Vercellas, Inueram, Verucas, Su-
sam & Augustam in Pedemontio occu-
parunt. His in Italia gestis Galli re-
cupe-

*Hist. du
Princ. Eu-
gen. l. 5.
pag. 151.
Span. Suc-
cess. Krieg
pag. 700.
Lettr. Hist.
Juin. 1704.*